



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

NATIONALBIBLIOTHEK
IN WIEN

130056-B

ALT-



100. 10. 10

PRO-CANCELLARIUS

JOH. HENR. MYLIUS JCTUS

POTENTISSIMI POLONIARUM REGIS AC

ELECTORIS SAXONIÆ IN SUPREMO APPEL-

LATIONUM SENATU CONSILIARIUS

SCABINATUS ELECTORALIS SENIOR ET FACUL-

TATIS JURIDICÆ ADSESSOR,

ACTUM SOLENNEM

PROMOTIONIS

QUATUOR JURIS LICENTIANDORUM

INDICIT

ATQUE

BENEVOLUM LECTOREM

OFFICIOSE ET QUA PAR EST HUMANITATE

INVITAT.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT
530 SOUTH EAST ASIAN AVENUE
CHICAGO, ILLINOIS 60607

OFFICE OF THE DEAN OF THE PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT
530 SOUTH EAST ASIAN AVENUE
CHICAGO, ILLINOIS 60607

RECEIVED

1971

PHYSICS DEPARTMENT
530 SOUTH EAST ASIAN AVENUE
CHICAGO, ILLINOIS 60607

PHYSICS DEPARTMENT

Non ita pridem, quum alia scribendi occasio esset, amicis-
simam illam atque utilem maximè Medicæ artis cum *Agitur de Con-*
Jurisprudentiâ tam legislatoriâ, quam Judiciariâ *junctione Ju-*
conjunctionem delineavi: nunc ubi ea iterum oblata est, *risprudentiæ*
intimum Sacræ Theologiæ atque Philosophiæ cum hâc
consortium in medium producere animus est. Philosophiæ qui-
dem in Justitiâ administrandâ usum paucissimis perstringam, quum *cum Philoso-*
nemo facilè sit, qui subsidia, quibus omnibus Disciplinis succurrit, *phia*
ignoret, adeò ut in legibus condendis vel maximè ad ea, quæ Ethica,
atque Politica audiunt, respiciendum sit, legesque variæ, quid
ab antiquioribus Jctis hâc in re factum sit, satis indicent; vid. l. 7.
§. 4. ff. quibus ex caus. in poss. eatur l. 2. §. l. 6. ff. de LL. l. 76 ff. de judic.
§. 2. Inst. de Emt. Vendit. ex quibus fontibus etiam vera legum in-
terpretatio haurienda est. Judicia qui frequentant atque postu-
lant, Syllogismos in aptè conscribendis actionum libellis, atque ex-
ceptionibus ritè proponendis omni studiò ac curâ observare te-
nentur, nisi petitis suis se frustratos esse velint. Quis nescit cau-
sarum genera, ex Metaphysicis desumpta, in Juris Doctrinas ita
transiisse, ut iis bene ac solidè cognitis, felicior atque facilior sit
cujusvis materiæ cognitio; Matheseosque auxilium adeo est ne-
cessarium, ut mensuris & in subducendis rationibus justò calculò
quotidiè indigeamus: Physicæ vero utilitas ex iis patescit, quæ
de Medicinâ scripsimus, de quâ, quod ibi Medicus incipiat ubi
Physicus desinit vulgò & rectè asseritur. Unum est, quod de usu
Philosophiæ in administrandò Jure addere pretium videtur, nimi-
rum aliquando, ubi de styli conformitate in comparatione litera-
rum concertatum fuit, Acta ad Facultatem Philosophiæ bonarum,
que Artium transmissa atque ab ea judicium super hâc controver-
siâ desideratum fuisse; quumque ex erroribus contra Gramma-
ricorum regulas commissis falsitas alicujus scripturæ argui possit v.
JOH. ALOYS. RICCIUS *decis. 275. part. 2.* facilè continget, ut ad
litem hanc de vitiis istis ortam feliciter dirimendam prælaudatæ
Facultatis requiratur consilium, æquè ac si de antiquitate literarum

Et principaliter Theologia. Quæ Disciplina in una Persona concurrant apud varias gentes.

carum ductu dijudicandâ dubitetur. Philosophiâ relictâ ad Sa-
cro-Sanctam Theologiam nunc transeo. Hanc quidem apud va-
rias gentes cum peritiâ Legum Politicæ causâ latarum, & potestate
justitiam civilem administrandi, si non ex asse, ex parte tamen con-
junctam fuisse scimus Turcarum exemplô, qui summum suæ reli-
gionis Sacerdotem in rebus etiam ad statum Politicum, atque jus
reddendum spectantibus, in consilium adhibent: & divinam Ju-
dæorum Rempublicam intuentes, Mosén Legislatorem & divinæ
voluntatis atque doctrinæ præconem & in puniendis non minus de-
lictis, quam finiendis litibus Judicem conspiciamus, qui sacerdo-
tiô, quod tùm temporis in sacrificiis potissimum consistebat, fra-
tri relictô in reliquis, divinô jussu & afflatu, externum Dei cultum
ordinavit, aras judæorum unâ cum cordibus eorum ab idololatriæ
gentilium, ad quam adeo proni erant, repurgavit, fideique dogma-
ta explanavit. Quæ duplicis officii conjunctio quamvis, si gen-
tem Christianam respiciamus, inter Pontificios satis adhuc conspi-
cua, Papamque de duobus a Petrô sibi traditis gladiis gloriari com-
pertum est, Theologos etiam Pontificios Divini ac humani juris
doctrinas mirum in modum confundere in unum corpus ac com-
miscere videmus; recte tamen apud nos, qui clarâ, ac serenâ Ev-
angelii luce remotis traditionum humanarum tenebris fruimur, di-
stinctâ à se invicem sunt disciplinæ illæ, quarum una fidei dogmata
cum pietate Christianâ, altera Justitiam in negotiis civium admini-
strandam curat atque tradit. Neque eorum error tolerandus, qui
divinam Justitiam in Scholis Jctorum doceri existimant, moti
*l. 2. ff. de LL. quæ Leges Civiles Dei inventum esse prædicat & sa-
cerdotium Jctorum de quo l. 1. §. 1. ff. de I. & I. item l. 9. & l. ult. de*
*LL. agit, cum Sacerdotio Theologorum apertè miscent, quæ ta-
men objectô, ac fine suô vel maximè discernuntur. Theologus*
enim in cognitione atque interpretatione Voluntatis divinæ, & le-
gum partim universo generi humano, partim populo Judaico pro-
mulgatarum, nec non illius doctrinæ, quæ à Christô, Veterum Le-
gum verô atque divinô interprete, adeoque Theologiæ Judaicæ
refor-

Et nunc apud Pontificios commiscetur

*à se invicem tamen distin-
guuntur*

*ob diversita-
tem objecti &
finis*

reformatore strenuo atque severo accepta dulcissima Evangelii
 solatia secum fert, versatur, & occupatus est; itaque magistri sui
 vestigiis insistens, ea tantum, quæ Dei sunt, inculcat, neque de
 bonis mundanis sed æternâ nunquam periturâ hereditate pro-
 spicit: Jctus contra, in quô Justinianus noster utramque &
 divinarum & humanarum rerum, notitiam requirit, curam qui-
 dem eorum habet, quæ ad fidem salvificam pertinent, & ejus
 dogmata cum pietatis non simulatæ exercitiô omni observat
 sollicitudine, ne his deficientibus aut corruptis sui brachii vires mi-
 nuantur atque prorsus enerventur; nihilominus tamen ejus doctri-
 na atque officium justitiam, quæ ex fide oritur atque æternam beati-
 tudinem non spectat sed, ut redditô jure status Reipublicæ externus
 illibatus atque pacatus sit, allaborat. Hinc est quod ejus occupatio
 maximam partem in negotiis ad Politiam pertinentibus deprehendi-
 tur, & si de dogmatibus fidei ipsi agendum quâ Jctus officium suum
 ita persolvit, ut præcedente illius cognitione ex Theologiâ desum-
 tâ, quid justum de iis vel injustum in statu politico sit, constituat
 atque decernat. Sacro-Sanctum ergo inter duas istas disciplinas *in quibus tamen*
 invenitur foedus, adeò ut ambæ idem, diversô tamen modô, inten- *ultimo con-*
 dant: Theologus scilicet ab externæ justitiæ violatione tanquam *currunt.*
 peccato dehortatur & Jctus, dum suum cuique tribuere jubet inju-
 stitiam indomitam coercet, ac refrænât, Theologiæ auxilium præ-
 stans exoptatissimum. Nam quod Theologus paternis monitis
 efficere non potuit, Majestas Politica comminationibus ac pœnis ad
 effectum perducit, atque absolvit, quâ ratione à salute tam terrenâ,
 quam æternâ aberrantes oves ad ovile, & salutaria pascua compellit,
 ut proinde verè ac scitè dictum sit forum poli à foro soli eatenus
 discrepare, quod ubi illud desinit, ibidem hoc incipiat, nec opus
 sit cum ALBERICO GENTILE sacrum decalogum dividere quæ
 ac distribuere, ut prima ejus Tabula Theologis, altera Jctis assi-
 gnetur. Quæ, ut plura evadant, sciendum velim Theosophiam *Hinc Theolo-*
 Jurisprudentiæ legislatoriæ vel maximè adjungendam esse. Non *gia Jurispru-*
 solum enim Jctum, consilia de condendis legibus ferentem, *dentiam legis-*
latorium juvat
 atque

atque sacris literis eruditum esse decet, ne forte in ea, quæ divina lex, vel imperando vel vetando jubet, impingat aut omni charitate Christiana exutâ immemor humanæ imbecillitatis temperamentum rigoris, atque misericordiæ adeò pium, adeò necessarium susque deque habeat: sed etiam, si circa Dogmata ipsa, & fidei articulos, aliquid, quod statum politicum, aut observationem divinæ voluntatis sanctionibus humanis obtinendam concernit, statuendum est, Theologorum consilia haud negligenda videntur, utpote qui, ut exemplis rem illustrem, de sabbatho quibus negotiis violetur, de prohibendis vel permittendis matrimonii gradibus, de cultu Numinis supremi externo, atque ritibus ecclesiasticis mutandis, aut conservandis, & aliis similibus divinam mentem omnium optime explicare norunt, & quò leges eidem magis conformes reddantur, piissimè s'vadere valent. Jucunda sunt legere quæ de harmonia LL. divinarum atque humanarum, Romanarum potissimum, præ aliis PETRUS PITHÆUS aut potius LICINUS RUFFINUS in *Collationibus LL. Judaicarum & Romanarum*, JOH. CALVINUS in *The- mide Hebræo-Romana* & GEORGIUS CHRISTOPHORUS WALTHERUS in *Postillis Harmonicis Theologico-Juridico-Politicis* scripserunt, ad quos L. B. remitto. Jurisprudentia porrò, quæ circa Judicia occupata est, non tantum pietatem, atque amorem proximi infucatum in Judice non minus, quam illis, qui causas orant, requirit; sed præterea etiam opem Theologia ipsi præstat in multis, quæ externæ sunt justitiæ, negotiis, ut ipsius atque Judicis officium amicissimè combinentur. Non dicam jam de illo Theologorum atque Jctorum connubio in Ecclesiasticis causis, quas conjunctâ manu tractant, in toto; sed de istis tantum loquar, quæ politici fori & à cognitione Theologorum exemptæ sunt. Certe profectò Judex pius, ac justus nihil magis cordi habet, quam ut si homo obdurati animi vel de civili causâ vel de delicto interrogatus veritatem confiteri recuset, Sacerdotis requirat officium, qui cor quasi petrosum, atque durissimum, malleo verbi divini concutiat, atque emolliat, id quod eò potissimum casu quotidianò fere contingit,

quò

& Judiciari-
am,

quò de perjuriò admonendos pronunciamus, qui de causa controverfa juramentum à Judice injunctum præstare debent; & quum his, in quæ nos Deus reservavit, temporibus, malitia hominum atque improbitas, non dicam creverit, sed supremum fere gradum attigerit, ut Judicia humana, omni licet sollicitudine perfecta, eludi quotidie visa fuerint, paucissimis ab hinc annis piissimâ intentione requisita est præsentia Sacerdotum, qui torquendis præstò sint, eosque ne vel metu cruciatuum quod à veritate alienum confiteantur, vel hanc ex timore de poenâ capitali reticeant, præparent, & dehortentur. Quam adjunctionem olim inconsuetam Ecclesiæ ministri ægrè quæstò ne ferant. Pius enim Judex, & Jure Consultus, qui de justò judiciò æquâ lance reddendo ne fontes dimittantur, infontes vero damnentur, sollicitus est, sibi certò persuasum habet, Deo, summo Judici, abominabilem audire, qui in unò eorum peccat, nec dubitat ipsum Judiciis præesse, & corda tum judicantium, tum Judicandorum regere, atque, quò velit inclinare; ut proinde emergentibus tot tricus, atque vexis facinorosorum hominum, quibus animus anceps ac dubius sæpissimè redditur, nulla securiori viâ procedere sciat, quam si ad ipsum illud justissimum Numen, à quò potestatem ac imperium in corpus vitamque hominis acceptum fert, & quod divina suâ ope ac fortiori manu, in quò humana imbecillitas deficit, supplere potest, refugere sit concessum. Quid ergo mirum ipsius ministros adeò arduis atque difficilibus rebus advocari, qui verbo suo revelato tantam largitus est vim ac efficaciam, ut dum ex ore sacerdotis exit corda hominum ferire, penetrare, ac transmutare valeat. Neque hoc consilium Ictorum malè cesit: plures enim rei criminum, infanticidæ cumprimis, quæ vitam foetus sui atque violentas manus, quas injecerunt, omni studio atque opera dissimulare atque pernegare ausæ sunt, monitis tandem clericorum eò adacti, ut veritatem ingenuè fassi mortis supplicium animò hilari atque tranquillo subierint, ex sacris litteris edocti justum Dei Iudicium nemi-

nera

mem effugere, qui sua improbitate pertinaci humanum eludere au-
sus est: & Iure Consultis magno est solatio, si crimen sub tormentis
fatentes mox verò ubi extra locum torturæ ratificanda est confessio
id negantes, & istam ex impatientiâ doloris factam prætendentes,
hâc viâ sæpius repetitâ, Iudicem elufuri, tandem præfente ecclesiæ
ministrò vel mutent animum vel corroborent; spem enim omnem
in Deo positam habent, hujus auxiliò exorató atque adhibitò nihil
iniusti subesse amplius aut ipsis imputari posse. Ita Sacerdotium
divini verbi Sacerdotio justitiæ sat congruè, & iustè iungitur.

*Nova inventa
Theologie
non profunt
Jurispruden-
tie*

Hoc vero, quò Theologia cum Juris prudentiâ sociatur, conjun-
ctionis vinculum inventa novitia, quæ illa huic suppeditet, non de-
siderat sed respuit: potius illis oblectamur, quæ a Sacris litteris
jam comprobata sunt atque ab autoritate humanâ recedunt. Uti
enim Religionem & quidquid ad eam spectat novatores turbant;
ita Jurisprudentia satis experta est, quantum damni afferat in ad-
ministrandâ Justitiâ traditionibus humanis locum concedere, cui
scilicet concilia atque Romanæ Ecclesiæ pontifices, eorum certè
quæ Stephanus V. Humberto Episcopo Moguntino *teste can. 20,
Caus. II. qu. 4.* rescripsit: id scilicet *quod Sanctorum patrum docu-
mento sancitum non est superstitiosa ad inventionem non presumendum
esse* prorsus obliti, varia media ad veritatem indagandam super-
stitiosè excogitata tanquam salutaria & divinæ voluntati conformia

*Exemplo Pur-
gationis per S.
Cœnam &
probationis
per Miracula
de quibus dis-
serendum.*

obtrudere tentarunt. Huc referenda purgatio illa, quæ per Cor-
pus Christi s. Sacram cœnam fieri dicitur, Concilio Wormaciensi
potissimum introducta & approbata: & circa miracula adedò su-
perstitiosi plerique, pontificii cum primis, sunt, ut ex iis probatio-
nes judici inservientes desumere atque mentis suæ figmenta foro
communicare non erubuerint. Quæ dicendi materia, quum uti-
lis atque jucunda videatur, eam selectam volui, ut in actu promoti-
onis Doctoralis proxime futuro de *probatione per sacram Cœnam
& per miracula* duabus orationibus Solennitati illi destinatis verba
facere constituerim. Scilicet quatuor sunt Iuris utriusque Can-
didati qui, honores Doctorales ut conferrentur, petierunt, quo-
rum

rum natales vitæque atque Studia nunc paucis recensenda veniunt. Id quidem inter se commune habent, quod Lipsiam nostram florentissimam, literarum non minus quam rerum ad mercaturam pertinentium per omnes fere mundi partes celeberrimum emporium, dulcissimam salutant patriam; fata etiam eos in hōc à se invicem distinctos noluerunt, quod nulli eorum parens, qui de filiō doctoris titulō atque honore condecorandō gaudere suæque curæ paternæ fructus speratos eosque uberiores nunc capere possit, superest, quam calamitatem tamen benignissimum numen variis bonis atque felicitatibus compensavit. Nec minus commune & præcipuum in eo concessum fuit beneficium, quod singulis Magnifici Ordinarii Dn. LUDERI MENKENII, Jcti consummatisimi, Potentissimi Regis Poloniarum & Electoris Saxonæ Consiliarii Viri de his aliisque pluribus, quibus ornatus est officiis, nec non de salute eorum, qui studium juris excolunt & quos fidelissimis atque eruditissimis doctrinis ex disertissimō ejus ore fluentibus æquè ac scriptis suis publicæ luci datis imbuunt, immortaliter meriti, consiliō atque prælectionibus tam publicis, quam privatis fructuosissimis frui datum fuit, cujus paterna verè & aurea monita gratissimâ mente venerantur omnes atque collaudant. Nunc quæ in ipsis singularia sunt videamus. Primum inter eos locum occupat *JOHANNES LEONHARDUS ZOLLER*, qui annō millesimō Sexcentesimo nonagesimō primō in hunc orbem progenitus patrem fortitus est Leonhardum Zoller Mercatorem Celebrem atque Virum ordinis Senatorii cordatum pium justumque; matrem matronam multis animi dotibus sexui suo condignis exornatam, Mariam Elisabetham, ex familia florentissimâ ac laudatissimâ Richterianâ oriundam. Optimis parentibus nihil sanctius nihil potius fuit, quam filium, in quō ingenium studiis aptum deprehendebant, bonis litteris imbuendum illis concedere, de quorum fide atque docendi solertiâ certiores esse possent. Privatis primùm præceptorum quorundam doctrinis eruditus est; post hæc in Scholâ

*Recensentur
natales vita
& Studia
Candidatorum.*

Nicolaitana crevit Rectoris Vri perquam litterati, instituendæ Juventuti propemodum nati, & de ea optumè meriti Dn. Ludovici Christiani Crellii, SS. Theologiæ Lic. atque Dialectices Professoris publici solertiâ & quum Academico albo inscriptus esset Philosophiam non neglexit, sed strenuè excoluit singulari studiô atque curâ Dn. Gottlieb Fried. Jenichen S. Theol. Lic. & moralium P. P. celeberrimi, de cujus contuberniô sibi candidatus noster maximè gratulatur. Præterea suavissimum atque suâ tam jucunditate quàm utilitate in rebus publicum statum concernentibus nulli posterius Historiarum studium apprimè cordi fuit. Elegit itaque ducem Virum Excellentissimum Dn. Godofredum Langium Jctum, hodiè Potentissimo Regi Poloniarum & Electori Sax. à Consiliis aulicis, cujus doctrinâ exquisitissimâ multùm in eô studiô profecit. Juris prudentiam auspiciaturo contigit, ut forori ejus matrimonio se jungeret Dn. D. Godofredus Ludovicus Mencken, magni parentis filius non degener Juris Feudalis huc usque Professor Publicus, quâ suavissimâ conjunctione factâ occasionem nactus est Zollerus exoptatissimam affinis sui industriâ fide atque edecumatâ eruditione frui, sub cujus moderamine etiam anno 1712. dissertationem priorem de avô paternô ad alimenta nepoti illegitimo præstanda non obligato conscriptam in collegio Jctorum publice defendit, præterea operâ D. Christophori Rothii, Altenburgi nunc causarum Patronum non infelicem agentis, usus. Prudentiam in forô clientum causas orandi ut addisceret, Collegiô, quod vocant, practicô à Dn. D. Joh. Florente Rivinô Supremæ Curie Provincialis & Consistorii Ecclesiastici Advocatô ordinariô, ut eruditissimô ita exercitatisimô atque felicissimô, instituto interfuit. His peractis in numerum candidatorum ut reciperetur à Facultate nostra petiit, & lectione publicâ ex more receptô prius habitâ atque primô tentamine feliciter superatô impetravit. Ne autem Musis patriis solis adhereret, anno 1713. ad celeberrimam Wittebergensem Academiam transfuit, litteris bene cœptis ulteriora incrementa additurus; & voti sui compos redditus est à beatô Dn. D. Georg. Beyerô, &
Dn.

Dn. D. Michaelē Henricō Griebnerō Antecessoribus longè celeberrimis, Curiā Provincialis Facultatis Juridicæ atque Scabinatus Confistoriique Ecclesiastici Assessoribus dignissimis meritisimisque, à quorum ore per biennium dependit & non leves fructus doctrinæ reportavit, quos Lipsiam reversus in lectionibus publicis pro Licentiâ atque examine rigorosō edidit, sequutâ nuper disputatione inaugurali de simulatione pacti Antichretici dominium in emtorem translatum rescindente, ex more receptō sine præsidio habitâ, quam Lectio pro Gradu excepit.

Secundus Candidatorum *GOTTLIEB WILHELMUS DINKLER* anno proximi ab hinc seculi nonagesimō primō, die 13. Decembris in lucem editus, patre quidem Johanne Wilhelmo Dinklerō Mercatore primario sui que ordinis Seniore; Matre verò adhuc superstite Mariâ fœminâ honestissimâ, Mercatoris in hac urbe non infimij David Uhlichii filiâ. Post parentes qui vitam dederunt, encomia proximè merentur, qui animum moresque recte formarunt, ex quibus noster Candidatus Dn. M. Joh. Michaelē Engelmannum nunc in pagō Born propè Beltzig sitō verbi divini ministrum benè merentem, quem à primis, quibus bonis litteris se adplicavit, annis usque ad illa tempora, quibus ad Academica studia progressum fecit & ultrà ducem fidelem solertissimumque habuit, nec minus doctrinam supra laudati L. Crellii laudibus extollit. In Academiâ, continuant: supra memoratorum doctorum curâ, Philosophiæ operam impendit majorem Dn. M. Joh. Gottlieb Harthio PP. optime meritō, beateque defunctō, per omnes ejus partes ipsum manu quasi ducente; artis verò linguâ vernaculâ de re omni disertè ornatè decenterque verba faciendi nec non potiora Historiæ Politicæ atque Philosophiæ moralis fundamenta partim auspiciis optimis Excellentissimi Dn. Godofredi Langii, partim Dn. D. Johanne Schmidio Theologiæ atque Eloquentiæ Professore meritissimo atque famigeratissimo & L. Christiano Schenio juvantibus jacta sunt, & quod superest, historiæ atque juris publici doctrinas ex ore Rectoris Magnifici Domini D. Johannis Burghardi Menkenii, Jcti, Consiliarii Regii ac Historiarum Prof. Publ. longè celeberrimi atque Dn. D. Christiani

Godofredi Frankensteini Juris Consultissimi atque Scabinatus Electoralis Assessoris, Curia verò Supremæ Provincialis atque Consistorii Ecclesiastici Advocati ordinarii, Collegæ atque Fautoris cum curâ colendi, hausit avidissimè. Quum autem Jurium peritia ipsi primus quò sua studia intendebat scopus esset, eam ut excoleret potissimum annitebatur, cum quâ tamen Sacram Theologiam conjungendam ratus Dn. D. Godofredi Olearii Theologiæ P. P. quì nominis sui celebritate insigne Academia nostræ decus & ornamentum conciliat, Scholis Theologicis frequens interfuit, priusquam Themidis intraret Palæstram, in quâ consultissimus Dn. D. J. Adamus Scherzerus prima juris rudimenta tradidit Dn. D. Johannes Fridericus Olearius institutionum Professor famigeratissimus verò controversias, quæ inter JCtos celebriores sunt, beneficio exercitii disputatorii aperuit; Hodegetam porrò in iis quæ ad Juris Feudalis atque Processus Judiciarii cognitionem adcuratiorem spectant sequutus est Dn. D. Bernhardum Klepperbeinium virum Consultissimum & quum Juris studium parum utilitatis in publicum præstet nisi prudentia causas forenses vel consulendo & postulando vel judicando agendi accedat, & in actum deducatur, ut huic rei aptior fieret, optimum iniit consilium. Etenim favorem Dn. D. Johannis Florentis Rivini nactus periculum summoperè laudandum in concipiendis libellis' positionibus & scriptis aliis in foro usitatis fecit, quæ pro virili elaborata prælaudati Rivini Censuræ subjecit. Ex Professoribus juris præter Magnificum Dn. Ordinarium etiam Dn. D. Johannem Christophorum Schacherum JCtum & Antecessorem Curiaque supremæ Provincialis æquè ac Collegii nostri Assessorem longè celeberrimum Jus Naturale Canonicum atque Processus Saxonici ordinem eruditissimè explanantem audivit: Sub utriusque præfidiò varias disputationes publicas instituens, sub prioris quidem Theses controversas selectiores in Gymnasio polemico contentas decem disputationibus, Dn. Schachero vero moderante dissertationem de restrictâ testatoris potestate conscriptam defendit, quibus speciminibus suæ industriæ haut contemnendis plura superaddidit; Lectionem enim pro candidaturâ atque Licenti-

centiâ benevolè consentiente Jctorum ordine absolvit, & in duobus consuetis examinibus talem se exhibuit, ut honore Doctorali eum exornandum esse decretum fuerit, de quò etiam spem fovemus haut dubiam quod proximè instanti die 30. Aprilis de Terminò à quò usuræ pretii tardius soluti currunt sine præside disputaturus ingenii felicitatem cum studiorum solertiâ publicè satis testaturus, atque quæ restant benè ac rectè absoluturus sit. Tertio Candidatorum est nomen GEORGII ADOLPHI SCHÜBERTHI, filio Johannis Henrici Schubertis Mercatoris atque matris Christianæ Sophiæ matronæ optimatis & quæ egregium sexus sui ornamentum ac decus est, die 24. Aug. Anni proxime prioris seculi nonagesimi tertii lucem hanc adspicienti. Patre in teneris annis orbatus avi materni Dn. D. Godofredi Adolphi Lujæ Medici Lipsiensium experientissimi ac felicissimi, Senis venerandi, benignitate atque curâ educatus est, hâc quidquid jacturæ in illius obitu contigit benignissimè réfarciente. Præceptores gratisimus doctrinæ filius laudat atque recenset Dn. M. Giesmannum & Dn. Kœberum, nec non Dn. M. Gleitsmannum & Dn. M. Kettnerum Rectorem ac Con-Rectorem Scholæ Zizensis meritisimos, quorum præcepta & instituta avidissimè excepit, atque in succum quod ajunt & sanguinem convertit. Ad altiora pergens nostræque Academiæ civis factus Dn. Lic. Jenichen, clarissimosque viros Dn. M. Polycarpum Lyserum & Dn. M. Ortlobium adiit & eorum in se bene informando exoravit operam, quorum industriæ fidelissimæ omnem Historiæ atque politicorum peritiam se debere piâ mente agnoscit ac prædicat. Cæterâ Philosophiæ studio per biennium ferè incubuit sedulò, quò tempore transactò addiscendo Juri Civili atque Canonico se totum addixit. Hunc cursum studiorum laudabiliter coeptum tenenti divina providentia, quæ omnia moderatur atque gubernat, eximium atque exoptatissimum eventum concessit, quò metam contingeret felicius. Mater enim Candidati nostri pietate, modestiâ frugalitate & omni eò quod foemineo sexui laudem affert prædita & conspicua, patrique valde seni ac valetudinario curâ atque auxilio piissimo

subveniens, tantam sibi comparaverat undiquaque existimationem atque famam, ut nunquam sine laude optimè meritâ nominandus Magnificus Dn. Ordinarius viduus factus & de sociâ thori, quâ suas sublevaret curas, cogitans, de virtutibus ipsius certior redditus, Matronam piissimam sibi associare secum constitueret. Hâc itaque solennibus matrimoniis junctâ ac copulatâ Candidatus noster privigni quidem nomen in familiâ accepit, cum aliquô vitricô autem se vivere non est expertus, de quô potius liberalitatem curam & in promovendis studiis favorem insignem omni elogiô jure meritoque celebrat. Eôdem præside tribus disputationibus & quarta sub Dn. Godofredi Ludovici Menckenii supra laudati, cujus scholis plurimum se debere fatetur, moderamine d. 4. Maji 1713. dissertationem posteriorem de Avo paterno ad alimenta Nepoti illegitimo præstanda non obligato publicis litteris consignatam defendendo auditoribus applaudentibus in palæstrâ Jctorum concertavit. Porro supremos in Philosophia honores petenti Collegium Philosophicum annuit atque eos examinibus præviis contulit; ipse vero ut sibi bene merenti Titulum magistri bonarum artium competere ostenderet nuperrimè de foederibus inæqualibus in auditorio Philosophico non inscite disputavit. A Facultate nostra, ut locum inter Candidatos nostros obtineret modestè efflagitavit; concessâ itaque lectione publica quam pro Candidaturâ vocant, examini primo se sistere non dubitavit ac ita stetit ut die 15. Maji anni proximè præterlapsi Baccalaureus Juris renunciatus paullò post ad lectionem pro Licentiâ admissus fuerit & non ita pridem in examine rigoroso ordini Jctorum atque in disceptatione de Jure locandi Vasallorum inaugurali adeoque nemine præside omnibus qui præfentes fuerunt probatum dedit, quod rerum divinarum ac humanarum notitiæ, justî atque injusti scientiæ addiscendæ diligentissimè hætenus incubuerit atque Doctoralium honorum non indignus sit. Ultimò quem, in ambiendô juris Baccalaureatu posterior, obtinuit locò ponendus est Dn. JOHANNES AUGUSTUS NEUBERUS, qui anno millesimo nonagesimo tertio d. 7. Martii auram

com-

communem hausit. Patre gaudet Johanne Neubero, inter mercatores sui temporis non ultimo, matreque Christianâ natâ Zeithoffiâ. A primò incuntis ætatis flore postquam, quid agendum sibi esset, intelligeret parentum consensu literis se dicavit, & Præceptoribus privatim huic rei præpositis, Dn. M. Schindlero, nunc Diacono Schnebergensi, & Dn. M. Jacobi Fac. Philos. Assessori traditus in bonis artibus fecit progressus tam laudabiles, ut anno 1711. Philuræ nostræ nomen dederit, civisque Academici jura nactus fuerit. Oratoriam artem, ornamentum solidæ eruditionis non leve, præeunte atque censente Dn. M. Jacobi exercuit: Philosophiam verò coluit eum delectatione, & de ea fructus uberrimos legit, juvante Dn. Philippo Oleario Theologiæ Licentiatò Græcæ & Latinæ Linguæ Prof. dignissimo, clarissimoque. Posthæc prudentiæ juris, qua privati, qua publici, cui se totum mancipare animus erat, operam omnem concessit, atque studium & quoad illud, qui maxime inclaruerunt Professorum Dn. D. Christophori Schreiteri, primas suas lineas, eruditè illustrantis, & Struvii Jurisprudentiam Romano-Germanicam explicatiorem reddentis, nec non Dn. D. Joh. Friderici Olearii de Jure Institutionum Justinianearum atque Digestorum ut & Feudali, & Canonico differentis, auditor diligens fuit & in Dn. D. Olearii exercitiis disputatoriis strenuè pugnavit; quoad hoc vero Dn. D. Caroli Ottonis Rechenbergii P. P. Doctrinas imbibit. In utroque studio tam Philosophico quam Juridico, fundamentis solide atque firmiter positis, in publicum prodire, & quid vires valeant, quid ferre recusent tentare placuit. Quapropter anno 1713. d. 14. Jan. in Cathedrâ Philosophica sub Dn. L. Olearii præsidio respondens Theses de Fortunâ Romani populi elaboratas, & die 8. Febr. sibi concessò supremò honoris in Philosophia gradu mox sequenti d. 14. Febr. Thema de fure nocturno impune occidendo Præsès respondente Dn. Reinhardto, in Cathedra autem Jure consultorum sub præsidio Dn. D. Olearii mense Aprilij ejusdem anni Dissertationem de rei vindicatione alteri, cujus pecunia res emta fuit, non competente, & tandem Inauguralem de dote omnium Bonorum conscriptam laudabiliter

liter sine præsidiiis tutamine defendit ipse. Nec minus in lectionibus consuevit & in utroque examine nec non lectionibus publicis pro Licentia & gradu Doctorali ea, quæ ab eo expectari poterant, atque debebant, egregie præstitit. Ex his quæ de totius vitæ cursu quem nostri Candidati optimè, atque prudenter instituerunt, recentuimus, cognoscitur facile nihil superesse, quod moras honoribus Doctoralibus, quibus condecorandi sunt, injicere possit. Itaque ex mandato

Reverendissimi Principis ac Domini, Domini

MAURITII WILHELMI, *Ducis*

Saxonia, Julia, Clivia & Montium, ut & Angria

& Westphalia, Episcopatus Martisburgensis Postu-

lati Administratoris, Landgravii Thuringia, Mar-

chionis Misnia, ac utriusque Lusatia, Comitis Prin-

cipali dignitate Hennebergici, Comitis de Marca &

Ravensberg, Dynaste in Ravenstein, Nutricii atque

Cancellarii hujus Academiae Clementissimi Domini

mei gratiosissimi Ego, Procancellarii munus sustinens, proximo die Jovis, secundo Mensis Maji, iisdem in Templo Academico

Licentiam ad altiorem Doctoris gradum ascendendi, præstito prius

Justitiæ Juramento, non solum tribuam sed etiam de juribus ac privilegiis utriusque Juris Doctorum ut ritu solenni investiantur curabo,

atque efficiam. Cui actui solenniori quò illustriores adsint testes,

qui sua præsentia multum splendoris afferant, **MAGNIFICUM**

ACADEMIÆ RECTOREM, CELSISSIMOS PRINCIPES, UTRI-

USQUE REIPUBLICÆ PROCERES, cum Generosisimis atque

Nobilissimis Studijs, ut hanc Panegyrii accessu suo perquam honorifico, maxime etiam gratò, & acceptò dignentur, perofficiosè

atque humanissimè rogo. P. P. d. 28. Apr. Anni Christò natò

clō Is ccxv.

L I P S I Æ,

Literis IMMANUELIS TITII.

Österreichische Nationalbibliothek



+Z159132002



